



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

2. Alterum concordiaæ præfatæ & communis principium (quod præscientiæ ad futurum, contingens natura non præcedat, sed potius illud supponat, sequatur, atque ab illo quodammodo pendeat) statuitur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

nitatis futurum est separatim, sed, ut suo tempore futuro erit: quare in ipsa illa eius ex tunc scientia, & præscentia ex parte obiecti asseritur, & contingens futurum, & æternitatis, quia ipsa est antecessio: ergo realis illa posteritas durationis, & futurum, atque æternitatis antecessio contingenti ex parte obiecti asseritur, neque ab ea in eo iudicio abstrahitur ex parte obiecti, atque inter hæc ita realiter, & ut eueniunt, sumpta indaganda est concordia; non autem interea secundum scientiam, & contingentis entitates nudas, & prout a futuritione, & antecessione durandi separatim: sic enim nulla est difficultatis umbra, quæ Philosophos cogeret abstrahere: quemadmodum neque vlla eis in visione obiecti contingentis præscentis difficultatis suborta vniquam suspicio fuit, quæ sola contingentis posteritatem sua temporaria, & antecessione æternæ præscentiæ adeo illos turbauit: quod si, ita eis acceptis, supponi necessario debet existentia anterior, etiam præscentiæ, ac proinde hæc, ut præterita, atque necessitans ad futurum contingens, ne illam impedire possit, ne fuerit (ut vere, quia præterita iam, & supposita anteriori duratione necessitat) eius cum libertate contingentis concordia nequit Villarens defendi.

CERTAMEN II.

Alterum concordie præfatæ, & communis principium (quod præscentia ad futurum contingens natura non præcedat, sed potius illud supponat, sequatur, atque ab illo quodammodo pendeat) statuitur.

EX duobus principiis (ex quibus, ut dixi, vera, & communis hæc concordia infallibilitatis diuinæ præscentiæ de contingentibus futuris, cum eorum pro tempore suo contingentia, & libertate omnino penderet) alterum est: solam necessitatem antecedentem naturæ, seu causalitatem quæ in determinatione causæ ad effectum cum illo pro priori naturæ connexa stat, eius libertati, & contingentia obesse in quo principio duo continentur, vnum positium: quod scilicet determinatio causæ antecedenter connexæ cum effectui, & causæ indifferentiam, & subinde futuri contingentis contingentiam abolerat, & libertatem, secundum negatiuum: necessitatem scilicet, quamuis quæ non ita antecedens, sed subsequens sit, causæ indifferentiam, eiusque in futuri appositione exercitium, neutrius libertati, & contingentia obesse in extremo hoc negatiuo Philosophis, Patribus, & Theologis reliquis cum Dominicani Recentioribus Thomistis, eorumque Afflectis aliquibus durum, & ardens certamen est, à nobis cum reliquis prioriori sede contr. 3. dirimendum: ubi huius principij, quoad præteritiones diuinas, tam Dominicanas Thomisticas, quæ Soaristicas examinandas principia sumamus: idcirco tunc lectorem remittimus, qui minus huic nunc supponendo principio credere volet. Alterum vero concordia huius principij est diuinam præscentiam de futuris contingentibus ea causalitate, & natura, nullatenus anteire, neque hæc ab illa Villarens pendere; imo vere diuinam præscentiam, de illis ab eis pro suo tempore positis siue in se apponendis, quasi naturæ priori, tanquam à sui terminatio, vel determinatio quodammodo pendere; quæ etiam de re cum Dominicani Thomistis Recentioribus pugnandum hic est.

2. Erenim Aluarez 2. de Auxiliis d. 16. n. 8. Cabezudo 3. p. q. 62. a. 5. q. sua 2. Concl. 6. Nauarrete controu. 59. Cabrera 3. p. q. 62. a. 1. ad 12. §. 15. Ledesma de Auxiliis d. 2. de scient. dif. 1. dub. 4. Zamel tom. 2. Opusc. dub. 41. §. Hæc eamen solutio vniuersim docent scientiam visionis, siue omnium in tempore futurorum, & faciendorum, etiam contingentium, causam esse: ac proinde ideo futura esse futura, quia à Deo præsciuntur, non autem ideo præsciri

à Deo, quia sunt futura. Hæc tamen sententia adeo aperte communi Patrum videtur aduersari, & contradicere, ut contradicentiam, quoad verumque reliqui Theologi amplectantur. Ita censent De Doctores omnes citati supra pro communi concordia præsentis: item rursus ita etiam supponunt, qui docent voluntatem Dei mediare inter scientiam Dei, quæ causa rerum est, futurarum, & res facturas; inter præscientiam siquidem, & futurum nulla Dei voluntas mediatur, vltima enim ad futuri exitum requiritur ante prævisionem eius est: immo recentium Thomistarum sententia necessario supponitur, ut medium, ac determinatiuum ad futurorum præscientiam: atque etiam, ut formale constitutum futuritionis, ut ex eorum aliquibus vidimus q. 5. cert. 1. qui vero voluntatem Dei ita mediare inter scientiam, quæ causa futuri est, & ipsam futurum aiunt, hi sunt S. Tho. q. 2. de veritat. 14. Agid. & Argem. in 1. d. 38. q. 1. art. 1. Durand. q. 1. num. 7. Richard. art. 1. q. 2. Carthus. q. 1. circa fin. Hugo Victorin. in Epist. ad Rom. 2. 17. Secundo supponunt: scientiam visionis non esse causam rerum, qui cum docent scientiam Dei, quæ causa rerum futurarum est se sola non causare illas nisi ei accedat voluntas, adiungaturque beneplacitum diuinum approbans futuri effectum vel scientiam, quæ ad oppositum eius, quod faciendum est, atque adeo non fiet, indifferentiam determinet: visioni vero, seu præscientiæ futurorum nulla Dei voluntas accedit, siue succedit sed ad illam supponitur: neque opus est, ut fiat, quod fore præscitur, siue ut eius indifferens futuri & non futuri præsentatio determinetur, cum sit determinate futuri præscientia, & præsentatio; sed solum scientia simplicis intelligentiæ, quæ indifferenter extrema opposita præsentat, ita faciendâ quam non faciendâ. Ij vero sunt S. Tho. proxime & in 1. d. 38. q. 1. a. 1. & 1. p. q. 14. art. 8. corp. 1. cont. gent. c. 66. n. 2. & de verit. q. 6. art. 3. sub init. Magister in 1. d. 38. c. Hanc igitur. Alexand. 1. p. q. 24. m. 2. Albert. qu. 61. m. 2. corp. & ad 2. 3. & 5. ij etiam qui scientiam causam rerum aiunt, quia voluntatem dirigunt, cui prosequendum proponit scilicet S. Thom. 1. p. q. 19. a. 4. ad 4. & q. 25. art. 4. Albiz d. vlt. de scientia lect. 6. num. 2. §. Diff. illor. mibi, & omnes Doctores: ad id autem, quod factum præuidetur, præuisio nequit voluntatem dirigere.

3. Hæc autem probant scientiam visionis, seu præscientiam futurorum contingentium non esse eorum causam, sed solum simplicis intelligentiæ scientiam, quæ sola voluntatem dirigunt indifferenter proponens, ut ex oppositis eligat, ac determinet faciendum, ac proinde non, nisi voluntatis subiecturæ accessu, & mediatione causat. Hæc autem altera pars tantum principij hic statuendi, est expresse & in terminis tradita à Greg. Arim. in 1. d. 38. q. 2. a. 3. col. postremis. Capreol. d. 35. q. 2. art. 2. col. vlt. ad argum. contr. 8. concl. Bellarm. 4. de gratia & lib. arbit. c. 13. post med. Molina 1. p. q. 14. a. 13. & 17. §. Huius ita explicari, Valent. ibid. pun. 8. §. Hic tamen rationibus, med. Valquez ibi comm. art. 8. §. 2. & 3. & d. 68. c. 6. d. 69. c. 2. Lessius de gratia eff. c. 3. n. 24. Albert. tom. 1. q. 1. Theol. ex 4. principio Philo. d. 2. §. Sed mibi videtur: Soar. 1. de Auxiliis c. 13. n. 15. & lib. 3. de attributis c. 4. n. 10. & 1. de gratia Prolog. c. vlt. & 1. de consensu Dei c. 13. n. 15. Conimbr. in 1. Periherm. c. 8. q. vn. a. 4. Iustin. in c. 8. ad Rom. ad id, quod præscituit, Periculus d. 2. 1. ad eum locum, & reliqui eius loci interpretes. Fonseca 6. Met. c. 2. q. 4. Mascareñas de Auxil. d. 2. p. 6. n. 13. Diotal. Opusc. de scient. cond. c. 6. propos. 6. de futuris contingent. Trigol. in S. Bonau. 1. p. q. 10. art. 4. dub. 3. ad 3. sibi quæ contradiens Zumel 1. p. q. 14. a. 8. q. sua vn. præcipue concl. 4. & ad arg. Alarcon, tract. 2. d. 5. sect. 4. concl. 5. a. n. 8. Herize d. 10. c. 1. Ruiz d. 15. sect. 4. Palqualigus d. 24. sect. 2. nu. 20. concl. 7. cui non aduersatur octaua eiusdem conclusio: quoad vtramque vero partem principij hic statuendi scilicet scientiam visionis, siue præscientiam futurorum, præsertim contingentium, causam rerum non esse, sed e contra futura contingentia, quasi natura ad sui ipsorum præscientiam supponi hancque ab illis, licet non rigorose, aliquo tamen modo, tanquam à terminatio, & determinatio pendere præter Doctores certe, 1. datos citatis locis pro communi concordia præsentis docent expresse Magist. in 1. sentent. d. 38. cap. Hanc igitur. Hugo Victorin. quæst. 217. in epist. ad Rom. S. Thom. 1. p. quæst. 14. a. 8. ad 1. Alex. 1. p. q. 24. m. 3. Albert. quæst. 61. m. 3. S. Bonauent. in 1. d. 38. a. 1. quæst. 2. qui omnes à futuro

cito nomen, & rationem causæ respectu præscientiæ sui merito reiciendam obseruant; licet illud, quia à Patri- bus recitandis vitarum, videatur sonare: idcirco nos re- strictius particulis *quodammodo*, & non strictè nomine causæ in futuris respectu præscientiæ, & dependentiæ huius ab his vii sumus: quia, quoad intrinsecum repræsen- tationis futurorum à suo primario obiecto Deo totum omnino adæquare habet, quod habet, dum acta, & futura illa sunt, & repræsentantur; licet nisi essent non repræ- sentarentur, vt vidimus.

4. Tradiderunt principium hoc Ecclesiæ Patres con- stantissime Iustin. Martyr q. 58. ad gent. vt causæ peccati, Adami & Angelorum, notam à Dei præscientia diuer- tatur: [Causa non est eius, quod futurum est, prænotio; sed, quod futurum est, causa est prænotionis. Neque enim prænotionem sequitur, quod futurum est, sed quod futu- rum est prænotio:] Hieron. in c. 26. Hierem. [Illud, for- sitan, maiestati diuinæ non conuenit (proprie, & strictè) sed nostro loquitur affectu, vt liberum seruetur arbitrium: ne ex præscientia cogatur facere, aut non facere. Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futu- rum est; sed quia futurum est Deus nouit, quasi præscius futurorum:] & in 2. Ezech. ad id [Si forte audiant: lo- quitur autem hæc Deus ambigentis affectu, vt liberum ho- minis seruetur arbitrium: ne præscientia futurorum mali, vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum nouerit. Non enim, quia illa futura cognoscit necesse est nos fa- cere, quod ille præscit; sed, quod nos propria volun- tate sumus futuri, ille nouit futurum, quasi Deus,] & Dia- logo 3. aduers. Pelag. [Nec enim ideo peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat; sed præscituit Deus quod ille erat propria voluntate facturus.] Orig. 7. in epist. ad Rom. ad id c. 8. [Quos præscituit, ita ait, in præscientia Dei (scilicet propria, & absoluta), neque salutis, neque perdi- tionis nostræ causa constitit: quia, non propterea erit ali- quid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est sci- tur à Deo antequam fiat. Nam, est fingamus Deum non præscire aliquid futurum, sine dubio erit. Et statim fere. Non, quia Propheta dixerat, idcirco prodidit Iudas, sed quia futurum esset proditor, ea, quæ ex nequitia sue propo- sitio gesturus prædixerunt Propheta.] Et 2. cont. Celsum vers. med. [Celsus putat, quod aliquis præscius prædixit, ideo fieri, quia prædictum est; nos vero hoc non creden- tes animus, non prædictorem causam esse futuri; sed futu- rum illud, quod omnino euenturum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori causam prædicendi præbuisse.] Damascen. Dialog. contra Manich. pag. antepenult. [Deus ea, quæ voluntarie à nobis futura sunt, hoc est ea, quæ in voluntate nostra sita sunt, nimirum virtutem, ac vitium, præscit, ea demum præscit, quæ in arbitrio nostro minime consistunt: ac quidem vis præscienti à nobis causam haudquaquam habet; at vero, vt ea, quæ facturi sumus præsciat Deus, à nobis proficiscitur: est quidem præscientia Dei vera, & inuolabilis: verum ipsa nequa- quam est causa cur omnino fiat quod futurum est; quin potius, quia hoc, vel illud facturi sumus, idcirco præno- scit.] Sicut Medicus prænotat morbum quem non cau- sat, id quod medio circiter dixerat, *Prænotio diuina causa hæc est, quod ita futurum erat.*

5. Augustinus inter alia, quibus Dei præscientiam cum libertate, tam bonorum, quam malorum operum nostrorum conciliat, 5. de Ciuit. cap. 10. ita scribit: [Ne- que enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscituit: imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest non fa- tum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccatum esse præscituit, qui, si nolit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit; etiam hoc ille præscituit:] quia vtique eius peccati in tempore suo positionem, vel negatio- nem præscientia alterutrum expectat, & supponit: si enim posito prænotuit, & non posito, non illud, sed oppositum prænotauit: eidem conciliationi insistent 3. de lib. arbitrii. c. 2. & 3. ita exemplo præscientiæ nostræ de futuris, & memoriæ præteritorum eam explicat: quia æque præ- scientia Dei futura contingentia non causat, sed potius supponit, atque nostra præscientia illa supponat, ac memo- ria supponat præterita, quia ea vultariis causant: eius verba sunt: Si tu præscires peccatum esse aliquem, non esset necesse, vt peccaret, neque ipsa præscientia tua pec- catum prædicta sunt.

Christoph. de Origen, de Deo vno. Tomus I.

care eum cogeret, quamuis sine dubio peccaturus esset: non enim aliter futurum esse præscires: ita Deus neminem ad peccandum cogens: prævidet tamen eos, quia prop- ria voluntate peccabunt,] ac ex memoriæ præteritorum similitudine ait: *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt: sic Deus non cogit præscientia sua, quæ faciendæ sunt:* quia vtique æque ad præscientiam sup- ponuntur futura, & faciendæ, atque ad memoriæ præte- rita, & sine t. 3. Non igitur per Dei præscientiam mihi po- testas admittitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præscientia falli nequit, ad futura mihi esse præscituit: cuius rationem dedit ipse Augustin. 26. con- tra Iulianum c. 4. dicens: *Tam non possunt futura non fieri, quam non esse facta præterita: quoniam non est in Dei voluntate, vt eo sit aliquid falsum, quo verum:* quia æque vtrotumque verum in se eorum esse aliquando, siue antea, siue postea supponitur, vt præterita sunt, vel futura. Et tract. 53. in Ioan. inter init. & med. de diuinat. peccati ludæor. [Fecerunt ergo peccatum ludæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet: sed facturos esse prædixit, quem nihil latet: & ideo, si non malum, sed bonum facere voluissent non prohiberentur; hoc factu- ri prævidentur ab eo, qui nouit, quid sit quisque factu- rus:] perpende, *quem nihil latet*, ubi obiectum supponit- tur: ex quo infert oppositum potius, si foret, à Deo præ- uidendum, vt probet non cogi, neque causari à præscien- tia futurum, aut oppositum impediri antecedente con- tingens: vt dixerat c. 15. de prædestinat. & gratia eidem respondens difficultati in præscientia peccati Pharaonis. [Respondetur, inquit] Dei præscientiam non cogere ho- minem, vt talis sit, qualem præscituit Deus: sed præscire talem futurum, qualis futurus, quem, si cogeret Deus hoc vtique cogeret, quod non est. Porro, si hoc præsciret, præsciret futurum, quod non est:] quibus verbis, sicut, & aliis recitatis supra coactionem opponit potentia: ad non peccandum, seu, vt idem est, quod impotentia abso- lute non peccandi, atque absolute necessitati ad peccan- dum æquivalentem, quam impotentiam non peccandi ab- solute non fuisse impostam à diuina præscientia certa & infallibili. Respondet ibi; non autem strictè coactionem viurpat, quæ absolutam impotentiam, & necessitatem ar- bitrii ad oppositum non affert. Secundo illud: *talis*, & *qualem*, significat diuinæ præscientiæ à futuro peccato determinationem: postremis vero verbis rationem con- cordiæ cert. 3. efformandam acutè pressit.

6. Concilium Valentinum III. anno 855. sub Lothar. Imperat. c. 2. Profess. fidei ait: [Neque prorsus vili malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non possit: sed quod ille futurus erat ex propria volun- tate, ille sicut Deus, qui nouit omnia, antequam fiant, præscit ex sua omnipotentia, & incommutabili maiesta- te.] Ecce illis, *quod illis, futuris erat*, suppositionem peccati, vt ab omniscio, & incommutabili Deo, nec de- nuo in tempore illud agniture ex æternitate præscitur; antea vero à Dei præscientia futurum non neces- sari, neque causari. Athanas. serm. de passione longe à med. [Neque inferantes Prophetis ista contra Christum ausi (Iudæi) sunt; sed suo ipsorum studio sponte, volentes- que patrauerunt, vt non Prophetæ istarum rerum author sit, aut causa, sed ipsorum voluntas: quin potius ipsi in causa fuerunt, vt talia de ipsis Prophetæ prædicarent: si- quidem prophetæ proprium est futura prospicere, & in eo non hallucinari: hominum autem proprium est agere, quod velint:] subdit autem, & nostra præsentium visione exemplum: [Sicut oculis conuenientes in contuendo non fallimur, neque aliter videmus, & aliter res agitur: ita quoque Prophetæ futura, & præsentia cernebant, verum- que cernebant oportebat fieri: & ea quæ fiebant non po- terant non videre. Rursum, vt ea, quæ nos oculis nostris conspiciamus necesse est omnino esse, cum ea, quæ sunt, sub conspectum veniant; neque fieri potest, vt aliter sint, quam à nobis videntur: ita quoque, quæ à Prophetis pro- spiciebantur,] quibus æque ad præscientiam supponi fu- tura, atque ad visionem præsentia, atque ideo non posse aliter esse, atque prævidentur aperte tradit, & ad citro exemplo prophetiarum de B. Virg. concludit: adhuc ad rem præsentem aptius. [Non enim eo, quod scripta erant, ideo euenierunt; sed quia erant futura omnino, ideo certo prædicta sunt.]

Mm 2

7. Consequens

7. Consonat Chrysostom. homil. 60. in Matth. col. 7. ad id e. 18. *Necesse est, ut veniant scandala.* Necessitatem hic dictam non esse antecedentem contrariam libertati, & potestati arbitrij ad scandala vitanda, ex qua hæc contingentiam sortiuntur, his statuit: [Cum autem necessitatem sic dicat, non quia voluntas libertatem potestatemque liberi arbitrij tollat: nec, quia necessitati rerum humanam subiciat vitam, hoc dicit, sed quod omnino venturum est pronuntiat.] Scilicet, & ante, & independentem potestatem: & post multa in sententiam eandem hæc subdit col. 2. ad rem præsentem illustrata. [Non ergo prædictio ipsius scandala inducere putanda est. Non enim, quia futura sunt scandala prædixit, idcirco veniunt; sed quoniam omnino ventura erant idcirco prædixit. Non enim fierent, si nollet ea ex cogitare nequam homines, atque pestiferi; quod si ventura non fuissent, nec ipse futura prædixisset: ventura vero erant, quia multi erant graviter aegrotantes, qui noluerunt non agere maligne; & ipse, quod futurum erat, prædixit; sed si illi curari fuissent (quispiam dicit) ac nemo esset, qui scandala faceret, nonne hic sermo falsitatis crimine teneretur? certe, si curati, sanarique omnes voluissent, non dixisset: necesse est scandala venire; sed, quia sua sponte incurabiles futuros prospiciebat, ideo ventura omnino prædixit.] Cyrill. 11. in Ioan. c. 21. accinit ita: [Non enim, quia scriptum est de Iuda, quod periturus esset, propterea eo nequitia processit, ut paucis argenteis pretiosum Christi sanguinem traderet; verum, quia malignitate sua periturus omnino erat, idcirco id omnino futurum scriptura prædixit, quam fallum quidquam dicere impossibile est.] Et 9. in Ioan. c. 10. fin. [In scripturæ auctorem culpa reducere videtur: siquidem, ut adimpleretur scriptura, vi quædam mala commiserint: sed quis adeo rationis, ac mentis inoplerit, ut scripturam S. Spiritus peccandi causam attulisse homini nunquam credere possit? non ergo, ut impleatur scriptura, nec ista de causa facta sunt a quibusdam, quæ scriptura prædixit; sed contra: quia ita nonnulli sponte facturi erant, idcirco præsciens Spiritus Sanctus futura prædixit.]

8. In eandem sententiam scripsit Epiphani. lib. 1. hæc col. 38. post med. *Non quia prædixit scriptura facinus, sed, quia facturi eramus, prædixit scriptura, propter Dei prævisionem.* Inferius: *Non, quia dixit scriptura Iudæ crucifixerunt, & Iudas prodidit Salvatorem; sed, quia traditurus erat Iudas, & Iudas crucifixuri, ea de causa scriptura prædixit.* Euseb. 6. de præp. Evangelica circa med. præsentem versans concordiam sic facit, [Quemadmodum, si quis temeritatem alicuius hominis peripexerit, & quia ignorantem eum cognovisset, propter temeritatem eius non dubitet periculosa eum ac lubrica aggressurum itinera, in quibus lapsus misere iacebit, non efficit hunc ipse temerarium hominem lapsurum: sic Deus cum vniuersalique voluntatem prævideat, hunc perperam, illum recte acturum non ignorat. Non ergo præcognitio futurorum causa.] Post pauca: [Dicam etiam absurdum multis forsitan videatur, id quod futurum est causa est, ut Deus euenturum illud prævideat. Non ergo ideo fit, quia præscitur; sed quia futurum erat præscitur:] infra: [Non enim dicimus, quia proditor Iudas præsciebatur, necesse fuisse ipsum prodere: si sic enim esset, non vituperaretur ab his, qui proditorum præviderunt; vituperatur autem: nimirum, quia potuisset, & etiam non prodere.] Ac post, [Si contingat Iudam prodere præscitur: cum ergo hæc duo contingentia sint, & potestas in Iuda sit, Deus præscientia sua prævidet, quod à Iuda eligitur, neque præscientia Dei ex contingentia necessaria fiet proditio; ut, si ponamus Deum secum loqui: possibile est Iudam proditorem fore; sed contrarium quoque possibile est, quamvis autem utrumque possibile sit, ego tamen video proditorem:] Anselmus e. 1. concord. col. 2. hoc ipsum his docuit: [Cum dico: si præscit aliquid necesse est illud esse futurum, idem est, ac si dicam: si erit ex necessitate erit; sed hæc necessitas non cogit, aut prohibet aliquid erit, aut non esse; ideo enim, quia ponuntur res esse dicuntur ex necessitate esse; aut, quia ponuntur non esse affirmantur non esse ex necessitate: non, quia necessitas cogit, aut prohibet rem esse, aut non esse. Nam cum dico: si erit ex necessitate erit, hic sequitur necessitas, quæ rei

positionem non præcedit:] quibus docet præscientiam cuiusque necessitatem non præcedere, sed sequi potius futurum, quod ideo futurum est, necessario etiam, cum præscitur, ex eo, quod futurum est: datis insuper exemplis utramque necessitatem, & antecedentem, & consequentem illustrans, subdit: [Hæc necessitates (consequentes) quas solum in præscientia etiam agnoscit:] facit voluntatis libertas, quæ prius, quam sit, eas cauere potest. Hæc omnia Deus qui scit omnem veritatem, & non, nisi veritatem, sicut sunt spontanea, vel necessarij vident, & sicut vident, ita sunt. Hæc ergo consideratione palam est, quia sine omni repugnantia, & Deus præscit omnia, & multa sunt ex libera voluntate, & antequam sint, fieri potest, ut nunquam sint: & tamen, quodammodo, sunt necessitate: quæ necessitas ut dixi descendit de libera voluntate:] Et c. 2. post med. *Quadam præscita, & prædestinata, non eueniunt ea necessitate quæ præcedit rem, & facit, sed ea quæ rem sequitur.* citam doctrinam insistens. 2. *cur Deus homo*, c. 18. eadem med. distinctione hæc necessitates antecedentis, & consequentis rursus tradita, & explicata subiungit. [Hæc sequente, & nihil efficiente necessitate, quoniam vera fuit fides, vel Prophetia de Christo: quæ ex voluntate, non ex necessitate, mortuus erat, necesse fuit ut sic esset: ideo enim necessitate fuerunt, quia futura erant:] & in elucidario fere med. difficultati de præscientia ita respondet: [Omnia, quæ futuri homines erant facturi Deus futura præscit: non tamen sua præscientia aliquam necessitatem intulerunt, cum suam voluntatem explebant.] Beda com. 8. qu. 13. Variat. post med. [quid ergo: cogit nos Deus, ut mali sibi videremur ab æterno? ablit. Nam potius nos cogimus cum, ut nos malos videret:] Caudentinus Brixialis. Episcop. [serm. 3. de manducat. agni Paschalis post medium de crudelitate Synagoge in Chistum prædicta ait:] [Nec ideo factum est, quia prædictum erat: sed ideo prædictum est: quia futurum erat, ut per scientiam suam Deus in his, quæ per libertatem arbitrij hominum futura erant, ostenderet. Hugo Victorin. de Sacram. p. 2. c. 2. 2. vltim. med. [Possibile est non fieri, quod futurum est: & si non fieret, quod possibile est non fieri, nunquam futurum fuisset, nec prædictum:] quod, quia fieri, & futurum semper est, & prædictum est.] Et cum obieisset casum inde posse præscientiam, & providentiam respondet ita: [Quod si mutaretur euentus (quod fieri potest) neque mutaretur, neque casaretur providentia: quia hoc fieri omnino non potest; sed potius nunquam fuisset prædictum, quod nunquam fuerat futurum: & constaret providentia in eo, ut non fieret: si aut modo consistit in eo, ut fieret; non mutata, ut post aliam alia esset, sed ut nunquam alia esset.] Consonant omnino quæ c. 17. 16. 17. & 18. eiusdem questionis & citata q. 217. ad Rom. scripta.

9. Id ipsum alio discursu Patres supponunt, & docent, cum ideo ex æternitate cognosci à Deo futura nostra contingentia aiunt, quia æternitas (qua Deus, non autem tempore nostro, illa cognoscit, & indicat) tota quoad intrinsecum sui, ut pote indivisibilis, eis futuris coexistit, eique toti illa sunt præsentia, nunquamque proinde præterita & futura respectu illius: indeque ex præscientia Dei nullam contingentibus necessitatem eorum libertati adversam defendunt: cuius discursus, & concordia ea aperta ratio est: quod si per præsentium contingentium visio, siue humana, siue diuina eorum libertati non officit, quia ea non causat, sed supponit: ita neque futurorum præscientia Dei cuius æternitati, æque præsentia sunt futura, & præterita, æque præsentia sunt, quæ pro nunc nostro actui de præsentibus coexistunt: ac proinde æque, æque hæc, ad sui præscientiam supponuntur, atque ab ea non causantur: ita scripserunt in primis Boëtius 5. de consol. profa 6. ubi præmissa distinctione necessitatis in simplicem, siue antecedentem, & conditionis, seu consequentem, siue ex suppositione, quod res sit, sic facit: [Quod enim quippe nouit, vere scilicet aliquem gradientem id esse aliter, quam notum est, nequit, sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectione. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem; quamvis eum tantum, cum gradientur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid providentia præ-

scens videt, id esse necesse est, tamen nullam habere naturæ necessitatem. Atqui Deus futura, quæ ex arbitrij libertate proveniunt præscientia contemnit. Hæc igitur ad incertum relata diuinum necessaria sunt per conditionem diuinæ notionis (cui præsentantur sicut nobis præsentia:) per se vero considerata absoluta naturæ suæ libertate non definitur:] superius eadem ratione, & similitudine suppositionis præsentis obiecti ad sui visionem vsus fuerat primo his verbis: [Scientia quoque eius omnem temporis supergressa motionem omnia, quasi iam gerantur simplici cognitione considerat:] post pauca: [quid igitur postulas, ut necessario fiant, quæ diuino lumine lustrantur: cum, nec homines quidem, necessitas faciant esse quæ videntur: nam enim quæ præsentia certis aliquam eis necessitatem rous addit intuitus? atqui, si est diuini humanique præsentis digna collatio, uti vos vestro hoc temporario præsentis, quædam videris, ita ille omnia suo cernit æternis:] Iterum post pauca: [sicui vos, cum pariter ambulatis in terra hominum, & oriri in cælo solem videris, quoniam simul vtrumque conspectum discernitis: & hoc voluntarium, illud esse necessarium iudicatis: ita igitur cuncta dispiciens diuinus intuitus qualiter rerum minime perturbat apud se quidem præsentiam: ad conditionem vero temporis futurorum:] Quam sententiam ex Boetio transcribere Burchardus lib. 20. c. 21. & Iuo p. 17. c. 23. ex quibus, & Gratianus 23. q. 4. post caput Valentinæ 23. tanquam Augustinianam, cum tamen Augustini verba, adhuc impositio ipsi lib. de prædest. (qui ei sententia fuit) non sint. Boetium tamen ad rem præsentem interprecatur eius Commentator Raymundus Palasius q. 1. ex Gratianis.

10. In idem argumentum scribit Leo Magnus serm. de pal. c. 2. [cum omnia, quæ in Christum ludæica admittit impetras tanto ante prædicta sunt, ut non, tam de futuris, quam de præsentibus i propheticis sermo contextus: quid aliud nobis, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur? apud quem, & discernenda iam diuinitate & iudicata, & futura iam facta sunt.] Beda: post primo data supra statuta rerum præsentia, & socientia æternitati Dei: Si ergo in conspectu eius semper sumus, & præsentialiter nos videt, quales aut ex ipso futuri effemus in benum aut non ex ipso, sed ex nobis futuri effemus in malum non inconueniens fuit. Indeque post pauca nostrorum actum libertatem cum præscientia, & prædestinationis certitudine, & infallibilitate concordat verbis secundo loco ex ipso recitatis supra Gregor. Mag. 22. Moral. c. 23. alias 24. [Deo futurum nihil est, ante cunctos oculos præterita multa sunt, præsentia non transierunt, futura non veniunt: quippe, quia omne quod nobis fuit, & erit in eius prospectu præterit est, & omne, quod præterit, scire potest, potius quam præscire.] Post pauca: [In illo enim, nec præterita, nec futura reperiri queunt; sed cuncta mirabili immutabiliter durant: & quæ in seipsis simul omnia assistunt, nihilque in illo præterit, quod transiit: quia in æternitate eius modo quodam incomprehensibili cuncta volumina seculorum transeuntia manent, currentia stant.] Nemes. Episc. Emilsen. c. 4. de natura hominis: Deo futura, tanquam præsentia sunt. Damasc. ubi supra. Deus enim, qui futurus erat, tanquam iam ortum intenui, &c. Hieron. post data ex Dial. 3. aduers. Pelag. habet: Nos, ut homines tantum de presentibus iudicare illam, cui futura iam facta sunt, de fine rerum non de exordio ferre sententiam. August. 15. de Trinit. c. 7. post med. [Quis potest istam sapientiam, qua nouit Deus omnia, ita, ut neque ea, quæ dicuntur præterita, ibi præterant, neque ea, quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant: sed & præterita, & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia, &c.] Vnde vnam omnium tanquam præsentium diuinum intuitum esse docet. Prosper de præsentia concordia agens 2. de vocatione gent. c. 34. proposita difficultate respondet, sed, qui se ingeniose hoc arbitrantur, opinari, non intelligunt scientiam Dei quæ, & præterita, & præsentia, & futura com. l. & tunc, tempore non tenent: & tam in conspectu eius adstant ea, quæ gerenda sunt, quam illa quæ geruntur, aut gesta sunt: subditque futura esse æque immutabilia. Mirro in eandem sententiam plura Patrum testimoniis danda posita.

CERTAMEN III.

In idem principium, Philosophum, Scholasticos, & rationem conspici.

1. Constat idem principium ex Aristotele Periherm. c. 8. post med. Non enim (ait) quia affirmatio dicta est, aut negatio ideo erit, aut non erit, neque magis, si post annos centies centum, quam quantumcumque post tempore, fore, aut non fore dicatur. Vbi generatim de omni præscientia, & prædictione futuri ac non futuri (sub qua diuina etiam coercetur) locutus est, atque eius futuritionem, aut non futuritionem ab ea causari negauit: rationemque vniuersalem subiunxit, (quod scilicet futuri præcogniti, de quo agebat, necessitas ex suppositione ipsius futuri solummodo & consequens sit) his verbis: [Necesse quidem est, id quod est, tunc, cum est, esse: & id quod non est, cum non est, non esse: verumtamen, aut omne, quod est esse; aut omne quod non est, necesse non est. Non enim idem est omne quod est necessario esse, cum est, & simpliciter necessario esse: & de eo, quod non est simili modo: & in contradictione etiam ratio est eadem.] Eidem principio ad præsentem, & similem in prædestinatione concordiam ex Anselmi doctrina recitata certam. 2. adherere constanter Magist. in 1. d. 38. fine & d. 39. s. Hic ponitur, d. 40. s. verumtamen, vltus distinctione sensus compositi, seu coniuncti, & diuisi, seu disuncti, omnem in præscientia, & prædestinatione nostrorum actum necessitatem antecedentem auersatus, solamque consequentem, siue ex suppositione, quod sit, admittens. Et d. illa 38. Præscit Deus, & prædicat, etiam, quæ non est ipse factururus, sicut præscit, & prædicat infidelitatem Iudæorum, sed non fecit: nec ideo quia præscit ad peccatum infidelitatis cogit: nec præscit, nec prædicat eorum mala, nisi essent ea habituri: quia sola merita illud præscit, non beneplacito auctoritatis. Quæ ratio inanis esset, si præscientia (quam admittit) futura causaret, ac non potius illa supponeret, ut præmereret. & fule Alexander 1. p. q. 24. memb. 5. Mag. Alber. quest. 61. memb. 8. certam. 4. recitandi, speciatimque de præscientia præsentis concordia: Richard. in 1. d. 39. a. vi. q. 6. corp. med. hæc habet. Secundum Anselmum lib. de concord. & c. [Est duplex necessitas vna præcedens, quæ facit rem esse, & vna sequens, quæ nihil cogit esse. Loquendo de prima necessitate non est verum, quod omnia futura de necessitate eueniunt: sed loquendo de necessitate secunda omnia futura de necessitate eueniunt: quia illa necessitas non plus dicit, nisi necessariam consequentiam euentus rei ad suam futuritionem, & Dei præscientiam: & certam tamen est, quod ista consequentia est necessaria: Hoc est futurum: ergo eueniet: & hoc est necessarium: Deus præscit, quod hoc eueniat: ergo eueniet: sed quia possibile est, ut aliqua futura nunquam fuerint futura (scilicet contingentia) ita possibile est, ut nunquam fuerint præscita.]

2. His negat præscientie Dei antecedentiam primo. Secundo ad eam futura supponi ac prouide ab eis pendere, solumque necessitatem consequentem futurorum inducere, quæ est necessitas ostendi, cum sunt: quæ omnia ex Richardo relata per silentium approbat Carthusianus in 1. d. 38. qu. 2. post medium; nec, quoad diuinæ præscientie contingentiam de nomine (vbi ex licendis patet) cum illo deceret. Consonat A. gentina in 4. d. 40. 43. ad 8. eandem esse necessitatem antecedentem Anselmi, atque simplicem Boetij, & consequentem illius, atque huius conditionalem: cuius vocibus prædestinationis, & præscientie certitudinem cum futurorum contingentia, & libertate conciliat speciatim circa præscientie concordiam, sic fatuit: [No plus virtute illius consequentia potest inferri, nisi quod Petrus saluabitur eo modo quo Deus præuidit seu præscit esse saluandum: sed Deus præuidit Petrum sua libera voluntate bene uti gratia sibi collata, & suis virtutibus, & meritis actibus vitam æternam]